

a Deo gignibile : non igitur Jesus Dei generatione filius. » Bono quidem ordine deduxisti : sed quem circumduxisti? Forte me? sed magis te. Dixisti enim, quod fecit Jesus Deum. Quid deinde? Facere nonne motus est? nihilo minus quam agere. Agere enim, facere est : sicut et facere, agere. Ambobus ergo in motu existentibus, necesse est sequi mutationem : quam in Deo constituere, sicut est declaratum, incongruum est. Confitendum igitur aut facere non esse motum, aut non omnem motum esse mutationem. Sed enim facere, motus est : et Deus juxta motum fecit ; cui nullo modo mutari contingit, et omnino non congruit quomodolibet accidens recipere. Relinquitur ergo, non omnem motum mutationem esse. Si non omnis motus mutatio est, quid magis eligendum circa Jesum? secundum generationem illum esse, aut secundum effectiorem? Juxta divinam intelligentiam, secundum generationem. Etsi enim Deus simul ac dicit, facit quæ facit : Sed dicere, motus est, præexistente silentio : mutatio est igitur, silenti dicere. Si autem per Verbum fecit Deus, ante fuit Verbum quam facere. Si ante fuit Verbum quam facere, juxta generationem ante fuit. Generat enim ὁ υἱὸς Verbum. Generatio igitur Jesu, qui λόγος est. Quem Jesum gnari rerum dicunt secundum tres modos filium esse, veritate, natura, positione. Secundum veritatem esse filium, hoc ipso quod substantia est : et ipsum idcirco et simul et ejusdem substantiæ esse, quomodo et pater et λόγος et filius et Deus. Natura autem filius in animali generatione. Positione vero in adoptione. Sunt et alii modi : ut moribus, ætate, disciplina : ut Apostolus Paulus dicit (I. Cor. iv, 15) : *Ego vos genui*. Modus igitur secundum veritatem et altior modus est, et

omnibus divinior. Quis autem modus sit generationis sive filietatis ejus, sive juxta significatos, sive alios modos : confiteor ego Deo, cujus hoc potentia factum est.

XXXI. Dictum est a nobis sufficienter, ut credo, in aliis libris, a quo sit progressio et descensio ; regressioque promissi sancti Spiritus declarata est : et de triplici unitate et unali trinitate. Nec sũffero audiens dogma vestrum de Spiritu sancto, blasphemia plenum : « Quod iste Spiritus in sanctificationem est, et qui tantummodo sanctificet et doceat : et quod ipse factus sit, sicut omnis creatura. » Cum tamen ipse Spiritus differat propria sua actione a filio, cui tamen semper præsens est : sicut et ipse filius actione differt a patre suo, qui tamen sit pater juxta id quod est esse. Sicque istorum trium unum et idem existentium, una divinitas et non multifida majestas ; sed ὁδὲ ἀντιθεῖα μὴτε ἄθεια : sed tria unum, et unum tria : et ter posita, unum idemque atque solum. Sed de iis tribus alia nobis oratio.

XXXII. Salva nunc nos, pater, concede nobis peccata nostra. Et hoc quidem de Deo dicere, quid sit, peccatum est : et quomodo sit dicere, peccatum est : et non una voce venerari, quantum fieri potest sobria, sed enuntiare velle. Sed quoniam dedisti nobis, Domine sancte pater, Spiritum (I Cor. xn, 11) dividendum nobis prout vult, des nobis et cognoscantiam. Fidem enim habemus, et dicimus : omnigenam tamen de te ignorationem habentes. Attamen te patrem Deum, et filium Jesum Christum Dominum nostrum, et Spiritum in omni verbo semper confitentes, qui cum tecum et filio eodem vivit in æternum. Amen.

VARIORUM NOTÆ.

Sed quem circ. Ita cum Mabill. legimus. Orthodox. *Sed quid circumduxisti? forte te, sed magis inquam te.*

Generat. Mabill. *Generatione igitur Jesus, quoniam λόγος Jesus.*

Quomodo, etc. Mabillon. *quomodo et Deus et λόγος*

est pater et filius. Et mox animalium pro animali.

Sanctificationem. Mabillon. *significationem.* Et paulo post : *Qui quidem ipse Spir.*

Et non una voce vener. Mabill. *et humana voce divina non venerari, sed enuntiare velle. Sed, etc.*

Qui, etc. Hæc desunt apud Mabillon.

CANDIDI ARIANI

EPISTOLA AD MARIUM VICTORINUM RHETOREM.

I. Multa licet colligas, o amice Victorine, et argumenta, et exempla, quibus approbare nitaris natum Christum esse, non factum : Arius tamen, vir acris ingenii, ejusque discipuli, et inter eximios excellens Eusebius, suis epistolis de isto sententias protulerunt ; quas epistolas nunc subjicimus.

Arii ad Eusebium : « Domino desideratissimo, homini Dei fideli, recta opinanti, Arius qui persecutionem patitur ab Alexandro papa injuste, propter

omnia vincentem veritatem, pro qua et tu propugnans, in Domino salvum esse. Patre meo Ammonio veniente ad Nicomediam, rationi debitum apparuit salutare te per ipsum, simulque et communem facere charitatem tibi innatam, et affectionem quam habes ad fratres, propter Dominum et Christum ejus : quoniam magnifice nos exportat et persequitur, et omne malum movet adversum nos episcopus, ut fuget nos de civitate quasi homines sine Deo, quoniam

VARIORUM NOTÆ.

Epistolas. — Arii. Scripsit hanc epistolam Arius ad Eusebium Nicomediensem : eamque recitant Epiphanius, *Hæret.* lxxix, § 6, Theodoritus, *Hist. eccl.* lib. 1, cap. 5. et Nicephorus, *Hist. eccl.* lib. viii, cap. 9. Extat eadem latine in *Tripartita*, lib. 1. cap. 15.

Communem. Legendum videtur *Commonitam*. Græce,

ἰμοῦ τε ὑπομνησαι τὴν ἐμμετόν σου ἀγάπην.

Et omne malum movet. Græce, καὶ πάντα κάλων κινεῖ; adeoque vertendum, *et omnem machinam movet.* Pro κάλων legebat interpres κακῶν.

Sine Deo. Græce, ἀθίους, impius vertit Valesius.

non consonamus ipsi publice dicenti : Ingentogeni-
 tus est , semper Deus , semper Filius , simul Pater ,
 simul Filius consubstitit ingente Filii Patri : sem-
 per genitus est : neque ad intelligentiam , neque exi-
 guo aliquo præcedit Deus filium : semper filius ex
 ipso est Deo filius . Et quoniam Eusebius frater tuus
 qui in Cæsarea est , et Theodotus , et Paulinus , et
 Athanasius et Gregorius , et Aetius , et omnes qui cir-
 cum orientem dicunt , quod præexistit Deus filio
 sine principio : anathema facti sunt , excepto solo
 Philogonio , et Hellanico , et Macario hominibus hæ-
 reticis , quibus non insonuit , quod filium dicunt alii
 eructationem , alii emissionem , alii simul ingeni-
 tum . At istorum sacrilegia nec audire possumus , etiam
 si decies mille mortes nobis minentur hæretici . Nos
 autem dicimus et sapimus , et docuimus et docemus ;
 quoniam filius non est ingentus , neque pars ingenti
 juxta illum modum , nec ex subjecto aliquo , sed
 quod voluntate et cogitatione subsistit ante tempora
 et æones plenus Deus , unigenitus , et immutabilis ,
 et antequam genitus esset aut creatus vel definitus
 aut fundatus , non fuit : ingentus enim non fuit .
 Persequimur , quoniam diximus : principium habet
 filius , Deus autem sine initio . Propterea persequi-
 mur , et quia diximus quia non de existentibus est . Sic
 autem diximus , juxta quod nec pars Dei est ; nec ex
 subjecto aliquo : idcirco persequimur . Jam tu scis .

Confortari te in Domino , preces facio , memorem
 tribulationum nostrarum , Collucianista , vere Euse-
 bia . » Hæc Arius dicit .

II. Et de his Eusebius juxta istum modum talia ad
 Paulinum : « Quoniam enim neque duo ingenta au-
 didimus , neque unum in duo divisum , neque cor-
 porale aliquid quod patiat , dicimus aut credidimus ,
 domine : sed unum quidem ingentum , unum autem
 quod ab ipso vere , et non ex ejus substantia fac-
 tum , universale naturæ ejus quæ sit ingenta , neque
 participans , vel non ex ejus substantia : sed factum
 omnino alterum natura et potentia , ad perfectam si-
 militudinem et affectionis et potentia ejus qui efficit
 quod factum est . Cujus principium non solum ser-
 mone inenarrabile , sed et excogitatione ; nec homi-
 num solum , sed et eorum qui super homines sunt
 omnino esse incomprehensibile credidimus . Et hæc
 non legimus nobis substituentes , sed a sancta scrip-
 tura didicimus . Dicimus conditum eum esse , et fun-
 datum , et factum substantia ; et immutabili et inef-
 fabili natura et similitudine ea quæ sit ad facientem
 didicimus : Sicut ipse Dominus dicit (*Prov. viii. 22,*
23) : *Deus condidit me principium viarum suarum , et*
ante æonem fundavit me , ante omnes colles genuit me .
 Si autem ex ipso , hoc est , ab ipso erat sicuti pars
 ejus aut ex effluentia substantiæ , non conditum jam ,
 neque fundatum esse dictum , nec tu ignoras , domine .

VARIORUM NOTÆ.

Ingentogenitus est. Gr. ἀγεννητογενής ἐστίν .
Consubstitit ingente Filii Patri. Hæc male interpun-
 guntur in editis . Græce , συνπαρχει ἀγεννήτως ὁ υἱὸς
 τοῦ Θεοῦ , *Filius Deo coexistit ingente .*

Semper genitus. Theodoritus , ἀγεννήτως ; Epiphanius
 vero et Nicephorus , ἀγεννήτως , per simplex ν .

Neque ad intell. Gr. οὔτε ἐπινοία οὔτε ἀτόμω τινί .
 Vales . *Nec cogitatione , nec ullo temporis puncto .*
 Magis placet Ariani Candidi versio , *nec exiguu ali-
 quo .* Mentio enim temporis , ubi agitur de Filii æter-
 nitate , minus apta videtur .

Semper filius . . . Deo filius. Hæc semper filius paulo
 ante dicta , heic redundant , absuntque a textu , ubi
 tantum sic : ἐξ αὐτοῦ ἐστι τοῦ Θεοῦ ὁ υἱός . Cæterum
 hæc omnia in Græcis aliter digesta .

Athanasius. Editi perperam *Anastasius* . Epiphanius ,
 Theodoritus et Nicephorus , Ἀθανάσιος . Nimirum
 Arius Athanasium illum heic nominat Nazarborum
 episcopum , qui Arianorum patrocinium suscepit ad-
 versus Alexandrum episcopum Alexandrinum , qui-
 que apertius hæresim suam prodidit , cum ait Filium
 Dei unam ex centum ovibus : ut nos edocet magnus
 Athanasius , lib. *de synod.* § 17 .

Præexistit Deus filio sine principio. Candidus presse
 Græcis inhæret quæ sic se habent : προῦπαρχει ὁ
 Θεὸς τοῦ υἱοῦ ἀνάρχως . Valesius clarius : *Deum prin-
 cipii omnis expertem existere ante Filium , asserunt
 omnes per orientem episcopi .*

Quibus non insonuit. Gr. ἀκατήχητων , *nec eruditiss
 in fide .* Mox interpres simul ingentum reddit quod est
 Græce συναγγέλτων . Vales . *coingentum .*

Sacrilegia. Gr. καὶ τούτων τῶν ἀσεβειῶν οὐδὲ ἀκούσαι
 δυνάμεθα . At istorum *IMPIETATES ne audire quidem pos-
 sumus .*

Dicimus et sapimus. Gr. τί λέγομεν καὶ φρονοῦμεν :
quid dicamus et sentiamus .

Cogitatione. Gr. βουλῇ , *consilio .* Mox interpres et
 æones . Gr. πρὸ αἰώνων , *ante sæcula .*

Persequimur. Gr. , διὰ τοῦτο διωκόμεθα , *Propterea per-
 secutionem patimur .* Paulo ante in textu , οὐκ ἦν . ἀγέν-

νητος γὰρ οὐκ ἦν . *Non erat : ingentus enim non erat .*
Principium habet filius , Deus autem sine initio . Ita
 sane Græca : sed ea omisit Valesius interpres : vel
 forte typhotheta ob repetita , *propterea persecutionem
 patimur .*

Jam tu scis , etc. Hic locus in editis ita male habi-
 tus : *Jam tu scis confortari te in Domino . Preces fa-
 cito (al. facio) , memores tribulationum nostrarum Collu-
 cianista vere Eusebie .* Græce : λοιπὸν σὺ οἶδας . ἐρρώσ-
 θαι σε ἐν κυρίῳ εὐχόμεαι , μεμνημένον τῶν θλίψεων ἡμῶν ,
 συλλουκιανιστὰ ἀληθῶς Εὐσεβία . Quæ sic verit Valesius :
*reliqua tu nosti . Opto te in Domino valere , memorem
 vexationum nostrarum , vere Collucianista , vere Euse-
 bie .*

Quoniam , ect. Hanc Eusebii Nicomediensis episto-
 lam ad Paulinum Tyri recitat Theodoritus , *Hist. eccl.*
 lib. i. cap. 6 .

Universale , etc. Græce καθόλου τῆς φύσεως τῆς ἀγεν-
 νήτου μὴ μετέχον : *nec ullo modo naturæ ingenti
 particeps .*

Affectionis. Gr. διαθέσεως . Valesio interprete , *naturæ .*
 Multa de hac voce lexicographi veteres . Hesy-
 chius præ cæteris : *Διάθεσις , σχῆμα , ἀγάπη , ἀπόδοσις ,
 προαίρεσις .*

Et hæc non legimus nobis substituentes . Scripserit
 fortasse interpres Græce , ut alibi sæpe , λογισμούς ;
 pro *legimus* . Sic enim in textu : καὶ ταῦτα οὐχὶ λογισ-
 μὸς ἑαυτῶν ὑποθέμενοι . Valesius : *Atque hæc non ra-
 tiocinatione nostra , collecta .*

Et factum substantia . Habet quidem Theodoritus :
 καὶ γεννητὸν τῇ οὐσίᾳ . Sed noster interpres legebat
 γενητὸν per simplex ν . Et sic sane scribere mallet
 etiam Valesius . Hoc enim , inquit , magis convenit
 dogmati Arianorum , qui Filium Dei *factum* et crea-
 tum esse dicebant .

Ad facientem . Sic in *Hæresiol.* edit. Basil. 1556 .
 Perperam in bibl. PP. Paris. 1644 , *ad faciendum* .
 Gr. πρὸς τὸν πεποιηκότα , *ad factorem .* Mox , *ante æo-
 nem , Gr. πρὸ τοῦ αἰῶνος , ante sæculum .*

Vere id enim quod ab ingenito existens est, conditum amplius ab altero, vel a seipso, aut fundatum non fuisse, a principio ingenitum quod fuisset. Si autem natum illud dicere, substantiam quamdam præstare est, veluti ex substantiâ paterna ipsum fuisset, et habere ex ipso identitatem naturæ, cognoscimus quod non de ipso solo natum esse dixerit scriptura, sed, et in dissimilibus ipsi in omnibus naturaliter. Etenim et in hominibus dicit (*Isa. 1, 2*) *Filios genui et exaltavi, ipsi autem me respuerunt*. Et: (*Deut. xxxii, 18*): *Deum qui te genuit, dereliquisti*. Et alibi (*Job. xxxviii, 28*): *Quis, inquit, est qui peperit glebas roris?* Non naturam ex natura exponens, sed naturæ

A unicujusque eorum quæ generata sunt, ex ejus voluntate generationem: nihil est enim de substantiâ ejus: cuncta autem voluntate ejus facta, unumquodque ut et effectum est. Et ille quidem Deus: quædam autem ad similitudinem ejus per ipsum λόγῳ similia futura: quædam autem juxta participationem substantiæ facta, omnia autem per ipsum a Deo facta, omnia autem ex Deo. Quæ accipiens et destruens secundum quæ adest tibi divinitus gratia, scribere domino meo Alexandro cura. Credidi enim quia si scripseris ipsi, pudorem illi facias. Saluta omnes qui sunt in Domino. Salvum te, et pro nobis orantem divina gratia custodiat, domine.

VARIORUM NOTÆ.

Sed et in dissimil.... naturaliter. Leg. de dissimil. Gr. ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν ἀνομοίων αὐτῶν κατὰ πάντα τῆ φύσεως. Valens, sed etiam de aliis que natura prorsus ab illo discrepant. Sic mox Arius interpretes ἐπ' ἀνθρώπων vertit in hominibus; rectius, de hominibus.

Glebas roris. Theodorus juxta LXX Job xxxviii, 28: τὴν ὁ τετοκῶς βόλον δρόπον; Vulg. Quis genuit stillas roris?

Ad similitudinem ejus per ipsum. Verba per ipsum et

B alia nonnulla hic redundant. Locus integer græca sic se habet: τὰ δὲ, πρὸς ἑαυτὰ αὐτοῦ λόγοι ὁμοία ἐσόμενα, τὰ δὲ καὶ ἐκουσιασμιῶν γινόμενα. τὰ δὲ πάντα δὲ αὐτοῦ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ γινόμενα, πάντα δὲ ἐκ τοῦ Θεοῦ. Id e- t: Quæ autem ad similitudinem ejus verbo similia sunt futura, ejus voluntate facta sunt. Omnia autem per ipsum a Deo. Omnia demique ex Deo.

Et destruens.... gratia. Gr καὶ ἐξερρασάμενος κατὰ τὴν προσοῦσάν σοι θεοθεν χάριν. Et pro divinitus concessa tibi gratia percipiens.

VICTORINI

ADVERSUS ARIUM LIBER PRIMUS.

I. In primo sermone hujus operis, et multa et fortiora quædam etiam horum, o amice Candide, proposita atque tractata abs te sunt; quæ quanquam ut oportuit dissoluta sunt, tamen idcirco ista ex eorum epistolis audire volumus; ut dum hæc omni refutatione convincimus, illa quoque ex istorum refutatione vincamus. Et primum definiendæ sunt Arii Eusebiique sententiæ, in quo nobis consentiant, in quibus discrepent, in quibus ipsi sibi videantur adversi. Arius ait, *quoniam filius non est ingenitus*. Item Eusebius, hoc idem quod duo non sint ingenita. Nobis quoque ista sententiæ est. Arius, *filius*, inquit, *pars ingeniti non est, neque est ex aliquo subjecto*: hæc duo et Eusebius. Et adjicit: *neque unum in duo divisum*; id est autem, filium partem ingeniti non esse. Sed Eusebius: *Neque pars, neque effluentia*, inquit, *est*. Hoc nos consimiliter negamus: nam neque pars patris filius, neque effluentia quæ manando inde, minus fecerit unde manarit. Jam vero ex non subjecto esse ferre non possumus: ut quod nos ex aliquo subjecto esse dicamus, sed quod a patre ut filium. Arius, *voluntate*, inquit, *Dei subsistit filius ante tempora et æones*. Item et Eusebius: Nos ante omnes æones, et ante omnia tempora; sed genitum dicimus, non factum, non creatum, non fundatum. Arius dicit: *Filium factum, scilicet plenum Deum, unigenitum, immutabilem, qui antequam crearetur non fuerit, propterea quod non sit ingenitus*. Hæc eadem Eusebius, adjiciens, *quod filius omnia facienti sit similia*: nos contra, non enim similem, sed eundem dicimus, quippe ex eadem substantiâ. Præterea addit Eusebius, principium filii sciri nec ab homine posse,

neque ab aliqua superiore vel potentia, vel excogitatione, et audeat tamen dicere, figmentum esse filium, voluntate et sententiâ patris subsistere, non ex aliquo existenti. Istud non est principium filii dicere: si enim dicit hoc, ex non existentibus est, non est patris: neque pars, neque effluentia. Non solum principia novit, sed et τῶν λόγων πρῶτοι ἰπριου. Si autem non, quæ audacia est dicere: Hoc Deus, hoc Christus est: hoc pater, hoc filius? Nos autem dicimus, patrem ut patrem, filium ut filium.

II. Et primum ut ille versiculis quinque quod assererat, docuisse se credidit, filium factum esse, non natum; sic nos filium natum primum sacra omni lectione docebimus. Deinde id ipsum, hoc est, substantialiter filium, permittente Dei spiritu, ut possumus asseremus. Atque ex hoc primum sumatur exordium. Paulus ad Ephesios (*Ephes. iii, 14-21*): *Hujus rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitiâs gloriæ suæ, virtute confortari per spiritum suum in interiore homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo, et altitudo et profundum; scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut implemini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potest super omnia facere abundantius quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis, ipsi gloria in Christo Jesu, et ἐκκλησιῶν, in omnes generationes sæculorum. Quid ex his apparet possibile esse cognoscere Deum et Dei filium: et quomodo pater,*